

prolata, quadantenus, liberentur, voluisse perhibent Deum, ut PONTIFEX S. *Expiationum* die, sæpius, ut judicant, ingressurus in *Adytum*, fumum, instar nubis, conficeret, qui rebus sacris induceret caliginem, ne secreta *Adyti*, oculis omnium, paterent. Hoc, autem, suum interpretamentum, vel inde, etiam, inprimis, corroborant, quod licet, הָרָא , *videndi* significationem, apud *Ebræos*, communiter, obtineat, in *Scriptura*, tamen, voces, *videri*, & *apparere*, aliquando, non simplici, sed composito, significatu, reperiri, ut, nimirum, *videri*, sive, *conspici*, ab alio, coram nobis apparente, significant. Sensum, itaque, verborum, $\text{בְּעֵנֵי אֱלֹהִים אֵרָאָה עַל־הַכַּפֹּרֶת}$, esse: in *In nube videbor, super Propitiatorio*, i.e. *Nullus, coram me, comparebit, nisi cum nube*, quæ *Propitiatorium*, contexit. Cum, enim, PONTIFEX *Ebræorum*, solenni *Expiationis die*, accenso suffitu, coram *Propitiatorio* extumo, nubem procreare debuerit, arbitrantur, hanc ipsam eandem istam fuisse, sine qua, hic locorum, accessum ad se DEUS prohibuerit. Docetur, vero, hoc ipsum, explicite, v. 13. ubi *Summo Sacerdoti* injungitur, ut igni imponat suffitum, in antecedentibus, præscriptum, coram JEHOVAH, ut, nimirum, *Nubes illa suffitus*, (cujus, etiam, mentio, v. 2. jam tum, facta fuerat) tegat OPERCULUM, quod super *Testimonio* est; atque, ita, *Sacerdos S.* (instar filiorum suorum, *Nabhabb*, & *Abhibu*, qui, peregrinum ignem intulerant) non moriatur. Nos, qui interpretationem, quod, per nubem hanc, fumus, ex accenso suffitu, procreatus, qui *Gloriam divinam*, suo modo, texerit, atque obnubilaverit, in v. 2. congruenter, concipi queat, non improbamus; verbum, tamen, הָרָא , *Active*, uti Grammaticæ debebat, reddi, & posse, & debere, existimamus, ut mens *Numinis*, indulgentissimi, sequens sit: *Et, in nube ista, vel, POSTEA QUAM, ita, suffitum, sive*